

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo martyres Irenaeum per epistolam commendauerint. Cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

E V S E B I I H I S T O R I A E

ecclesiæ edita, fidem multis faciebant, illos etiam donis
prophetiae fuisse consecutos) cumq; de istis hominibus
controversia orta esset, fratres rursus, qui in Gallia ha-
bitabant, priuatum iudicium, idque prudens & rectum
cum primis, de eisdem, epistolæ, quam diximus, subiun-
xerunt: nō nullasq; ac varias martyrum literas, qui apud
ipsos mortem oppetebant, quas cum adhuc tenerentur
in vinculis, nō modo fratribus in Asia & Phrygia, verū
etiam Eleutherio episcopo Ro.(quem vehementer roga-
bant, ut pax & concordia in ecclesiæ constitueretur) ex-
arabant, eidem epistolæ adiecerunt.

*Quomodo martyres Irenæum per epistolam commen-
dauerint. C A P. I I I I.*

Idem porro martyres Irenæum ecclesiæ Lugdunensis
id temporis præbyterum per literas eidem episcopo
Romano scriptas, plurimum commendabant: permul-
taq; viro illi virtutis dabant testimonia, sicut ipsa lite-
rarum verba declarant ad hunc modum. Te in Deo omni-
bus in rebus perpetuo, pater Eleuthere, valere opta-
mus: Has literas ad te perferrre fratrem nostrum Irenæum,
& ministerii consortem, rogauiimus: teque obsecramus,
ut illum, vtpote studio incredibili erga testamentum
Christi flagrantem, gratia & benevolentia præ ceteris
complectaris. Quod si locum & gradum ecclesiastici mi-
nisterii vim & facultatem habere, iustitiae cuiquam im-
pertinendæ animaduerteremus, hunc ut præbyterum ec-
clesiæ (hoc namq; munus obtinet) in primis tibi comme-
dassemus. Verū quid attinet martyrum catalogū in eadē,
quā citauimus, epistola cōprehensum recensere? qui par-
tim capite obruncato occubuerunt, partim bestiis dilata-
cerandi, proiecti fuerunt, partim in ergastulum cōclusi,
vitam amiserunt? Quid item numerum confessorum cō-
memorem, qui ad id temporis fuere superstites? Perfaci-
le enim (si cui visum fuerit) licet ista plenissimè cognoscere,
modo illam epistolam, quam in libro nostro de mar-
tyribus ut dictum est, posuimus, accurate voluerit euolu-
vere. Sed de rebus, Antonino regnante, gestis, ita à no-
bis explanatum sit.

Q. 10.